



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Canonicis Bvrgi sancti Domnini.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

ceris fuisse assumptus, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus quatenus eum dicto Subdiacono nostro sine dilatione ac difficultate qualibet ob apostolicæ sedis reverentiam cum omni jure suo liberaliter conferatis, stallum in choro & locum in Capitulo Archidiacono debitum eidem pariter assignantes, ut vos ad receptionem proborum virorum faciles & ad implenda mandata sedis apostolicæ inveniamus benevolos & devotos. Ad hæc, auctoritate vobis presentium inhibemus, ne archidiaconatum ipsum post receptionem presentium alij cuiquam conferatis. Quod si contrarium, quod non credimus, faceritis, nos factum vestrum irritum esse decernimus & inane. Noveritis etiam nos dilectis filiis Præposito sancti Gaudentij Novarien. & magistro V. Balbo Canonico Mediolanen. Subdiaconis nostris præcipiendo mandasse ut si vos, quod scribimus, nolueritis vel distuleritis adimplere, ipsi id auctoritate apostolica exequantur, ipsum de archidiaconatu investientes eodem, & ejus possessionem assignantes eidem; vos quoque ad receptionem ipsius, auctoritate nostra suffulti, ecclesiastica distractione, sublato appellationis obstaculo, compellententes. Datum Spoleti VII. Kal. Septembris.

CANONICIS BVRGI
sancti Domini.

EX literis & conquestione vestra nobis innotuit quod cum propter præsumptionem, quam cives Parmen. in invasione dilecti filij nostri P. sanctæ Mariæ in via lata Diaconi Cardinalis & ablatione suarum rerum non sunt veriti attentare, Ecclesia vestra sit per venerabiles fratres nostros Archiepiscopum Mediolanen. & Cuman. Episcopum secundum apost. mandati tenorem à potestate & jurisdictione Episcopi Parmen. exempta, postquam idem Episcopus comminationis recepit literas, occasione cujusdam procurationis quam à vobis debere requirebat, cum procuratio, quam ei debeatis, paucis diebus elapsis ei plenarie fuisset à vobis exhibita, Episcopus ipse, dilecto filio Præposito vestro nullatenus requisito, vos ab officio & beneficio suspendere minime dubitavit. Nos igitur quod in pœnam contra cives Parmen. à nobis est provida deliberatione statutum, temeritate cujuspiam infrin-

gi nolentes, eidem Episcopo districtè præcipimus ut in Ecclesiam vestram vel vos nullam jurisdictionem exercere vel vobis aliquod gravamen inferre præsumat. Alioquin nos dilecto filio Præposito Regin. dedimus in mandatis ut eundem Episcopum ab hujusmodi per censuram ecclesiasticam, sublato appellationis obstaculo, nostra fretus auctoritate compefeat; eum nihilominus ad exhibendam vobis justitiam super Ecclesia sanctæ Mariæ & aliis Ecclesiis de Sorana, & super Ecclesiis de Curticel. scilicet sancti Victoris, & sancti Ingulsi, appellatione remota ecclesiastica distractione compellens. Vnde discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus quatenus supradictam suspensionis sententiam in vos ab Episcopo jam dicto prolatam nullatenus observetis. Datum Spoleti VII. Kal. Septembris.

Scriptum est Parmen. Episcopo, districtè præcipiendo juxta tenorem literarum istarum. Scriptum est G. Regin. Præposito, ut ipsum Episcopum à prædictis censura ecclesiastica compefeat, & ad exhibendam justitiam de prædictis Ecclesiis eadem distractione compellat.

ACHERVNTINO ARCHIEPISC.

Significante nobili viro R. Comite Licij, nostro est apostolatui referatum, quod capellâ sanctæ Mariæ de Lannian. à se reparatâ pariter & dotatam Cisterciens. fratrum regulis informare disposuit pro salute sua pariter & parentum; monasterium quoque quod est in castro Genusij, in quo jus obtinet patronatus, propter nigrorum monachorum incuriam in spiritualibus & temporalibus usque adeo jam consumptum quod in eo vix possunt quatuor sustentari, ut in utriusque respirare valeat, adjunctum ipsi capellæ, Abbatia Casemarij disposuit supponendum. Verum quia laicis, etiam religiosis, disponendi de rebus Ecclesiæ nulla est attributa facultas, fraternitatem tuam rogamus pariter & hortamur quatenus quod per eum legitime fieri non potest, per tuam fortietur auctoritatem effectum, si utilitati ecclesiasticæ videris expedire. Datum Spoleti VI. Kal. Septembris.

*Epist. 341.
Vt à laicis res ecclesiasticæ non admittantur, sed extructa monasteria ab Episcopis conlocentur.*

*Epist. 340.
De privilegio & exemptione illorum, ne ab Episcopo Parmen. vexetur. Vide supra epist. 121. 393.*